

INCARNATIONIS
FILII DEI
MYSTERIUM, VIRGA AHARONIS FLORI-
DA PRÆFIGURATUM.

Redit itaque, annuente Numine, & quod Eidem agimus gratias, feliciter rediit orbi Christiano universo sacra perpetuò habenda, & festis gaudiis solenniquè ritu celebranda dies, quâ è Sanctissimæ Virginis utero prodeuntem, inque cunis vagientem, ^{beatissimam} excipimus, piè amplexamur, & exosculamur devotissimè. Nequè enim vel ipsi Judæi Messiam sub Virga Aharonis florida quærere, & Mystrium hîc quoddam divinum reconditum latere, agnoscere recusant. Prodidit hoc nobis *Petrus Galatinus*, eo, quem de arcanis Catholicæ Veritatis inscripsit, opere, ubi ex arcano Judaicorum Dogmatum Volumine ^{גלי רמיי} revelator, arcanorum indigitato, cujus Autor Rabbi quidam Magnus, & ob singularem vitæ sanctitatem, doctrinæquè Excellentiam inter Judæos ^{הקדוש רבנו} Rabbenu Haccadosch appellitatus, longè ante Messie nostri benedicti tempora ita scripsisse perhibetur Lib. VI. c. 15. fol. 374. Edit. Francof. 1672. Quod me rogas inquit modo nominatus Rabbi ad Antonini Consulis Urbis Romæ sæpius iteratam petitionem de Virga illa, quâ Moses miracula faciebat, ex qua arbore excisa fuerit, manifestabo tibi. Scriptum nempe reperi à Rabbi Simeone filio Jochai in Libro ^{סוקר הסודות} Investigatio secretorum dicitur. Virgam illam, quâ Moses & Aharon miracula faciebant in Ægypto, & quæ postea in deserto floruit, gemmasquè edidit, ab ea arbore excisam esse, quam DEUS Mosi ostendit in deserto, ut aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc Arbor excisa fuit ab Arbore Vitæ, quæ in Paradiso sita erat, Angelorum manibus. Quam quidem miserunt Adæ, cum ille misisset Sethum filium suum ad Paradisum, misericordiam Dei imploraturum de suo Peccato. Dixeruntquè Angeli ad Seth ut plantaret hanc arborem. Quæ quam primum fructum faceret, misericordia DEI in eum descenderent, aperirenturquè portæ cœli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem Arborem seu potius Ramum accepit Seth, plantavitquè in deserto, quam postea Moses invenit;

nit, & ex ea Virgam suam excidit. Ideoque Virga DEI dicta est. Cum autem venisset Israel ad Mara neque illius aquas (erant enim amaræ) bibere possent, DEUS ostendit Mosi hanc Arborem, ut aquas illas redderet dulces. Et hæc est Arbor illa in qua Moses ipse serpentem imposuit, per quam DEUS universum orbem salvum facere instituit, & mittere misericordiam suam super Adamum, cum venerit Rex Messias. Tunc enim hæc Arbor fructus gestabit, quibus secundo aquæ amaræ efficiuntur dulces, purgabuntque primum peccatum, omniaque delicta quæ fecerunt, facturique sicut dictum est. Zachar. VIII. 1. Hæc è citato Libro antiquissimo à Galatino protracta, in lucem, licet universa non planè secundum iudicium Theologorum probanda, nec improbanda pleraque, cum Christianum admittant sensum, & veritati Christianæ non absimilia, sed potius pro ea testimonium Judaica ex antiquitate perhibeant. Non ingrata adeo ea nobis hoc nomine, quod Virgam illam Aharonis Messiam una significare debuisse, commonstrant, involutumque incarnationis & salutis nostræ Mysterium his Rabbinorum antiquorum commentis esse, cum Nostratibus quibusdam magni nominis Theologis diu fuimus persuasi. Succenturiantur Christianæ Doctores & Patres Ecclesiæ, quorum Autoritati, scripturæ fundamento non destitutæ refragari hoc minus licet. Ad quædam interim capita hanc in rem proponenda hæc vice revocare liceat, quæ Virgam illam tanquam Typum Messie sistant. Pono autem ante omnia & hic illud quod miraculum agnoscebant olim omnes in Virga Aharonis, siquidem Josephus quoque Antiquit. Judaic. Libr. IV. cap. 4. fol. 108. sic istud exprimit: *Ἐκπλαγέτως δὲ ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς ἱσῆος θαυμάσιον ἤξεν αὐτὸ τὸν τῆ θεῶ περι αὐτῶν κριεῖν.* Hæc novitate spectaculi vulgus attonitum, totum in admirationem divini iudicii versum. Quis veto non admiretur Mysterium incarnationis Filii DEI? Quis non novitate rei moveatur? aut attonitus non obstupescat? Cum hæc miranda, in incarnatione Filii DEI facta, intuetur. Viderit itaque ætas illa Aharonis Virgam absque humano cultu florentem, videmus Messiam absque hominis ope operaque florentem, optatumque mundo fructum parturientem. Quæ circa Aharonis Virgam adeo Contigerunt, optimè ad Messiam referuntur jureque & omninò accommodantur, cui propterea alia ejusmodi nomina ut; *ἄμυγδα* Germen Jerem. XXIII. 5. Zach. III. 8. VI. 12. item *ἄμυγδα* Ies. XI. 1. Conf. XLV. 8. LIII. 2. Virga, Surculus, in sacro Codice attribuuntur, ut ad hanc miraculosam Virgæ Aharonicæ germinationem nos remittant, & indice quasi digito Typum hujus Mysterii elegantissimum commonstrent. Itaque, uti Virga Aharonis non naturali quadam vi ac Virtute, sed supernaturali divinâ virtute germinavit; pariter Filius DEI solâ virtute divinâ cœlesti, ex obumbratione Spiritus Sancti, homo factus, & sicuti Aharoni assignabatur inter Principes Israëlitarum baculus, imperii signum, parili ratione Messias Rex simul & Sacerdos futurus erat. Num. XXIV. 19. Psal. II. 6. Ies. IX. 6. Jerem. XXIII. 5. Beneficia etiam Messie indicantur haud obscure, siquidem Amygdala, è baculo

culo Aharonis efflorescentia, cibo pariter & medicinæ inservivit; Ita Messias animarum nostrarum & Cibus Ioh. VI. & Medicina Matth. IX. 12. XI. 28. erat futurus, & omnibus adhuc est, eritque perpetuo. Quod Vinarienses merito etiam ad locum Num. XVII. monendum, typumque illum asserendum duxerunt. Virgæ Aharonicæ ariditas quoque familiam, qualis tempore Messias nascendi erat, sistit; Adprimè enim & Davidicæ familiæ, & filia Davidis præcipuè Matri Sanctissimæ Messias Mariæ congruit; tunc namque ista familia valde erat attrita, & non tantum regiò splendore, quem in Rege David acceperat, sed & possessionibus ferè orbata, quod vel ex Sanctissimæ Mariæ, Sponsique ejus Iosephi conditione clarescit. Sed una illa nocte, quæ è Sanctissima Maria natus Davidis & DEI Filius, Messias; regium & plusquam regium nacta est postliminò splendorem, ac admirandum inmodum effloruit, inque ortus exsurrexit magis magisque lætissimos. Quis proinde Virgam Aharonicam Messiam Regem ac Sacerdotem, ejusque beneficia, stirpem itidem Davidicam matremque Beat. Mariam ex illa stirpe oriundam, aliisque divinum incarnationis Mystrium attingentia præfigurasse, quin ad oculum quasi depinxisse, inficiari audeat? Quod si verò Judæis antiquioribus florentis Virgæ Aharonicæ figura adedò fuit in deliciis, ut scelos suos floridà hâc sculpturâ extornaverint; Christiani certe hoc magis Christum Jesum Θεὸς ἡ ἀπόστολος, hoc cum primis festivali tempore, pectore toto amplecti, ipsiusque beneficia quantâ maximâ pietate ac devotione possunt, de prædicare debent, læti cum Ecclesia ingeminantes:

O flos, honos, Hosanna, sacra Manna,
Quâ cibamur, Te subinde recreamur.

super hæc;

An mihi solenni sit fas hâc luce tacere?

Non ego si possim plectra movere velim?

Jamque meæ exultant Musæ frontemque serenant,
Ac ornant lætis plausibus huncce diem.

At quidem:

Horrida Mavortis resonant nunc bella per Orbem;

Innumeros tenet bellica lerna locos,

Multos castra juvant temerè lituoque tubarum

Permistus sonitus, bellaque dira placent.

Attamen Angeli è choro cœlesti hocce die solenni clarâ voce pacem nobis annunciant, canentes: Gloria in Excelsis DEO, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. O maximè admirandam DEI misericordiam! Quis non totus gaudio perfunderetur, imo, quis non præ gaudio exultaret? Nomini autem Vestro inclyto sacram hancce pagellam decenti animi submissione dedicare volui;

a plan-

A planis clientum preces audiri sciens. Mæcenas enim sunt Patres Patriæ,
Magnates, sunt clientum quasi magnetes imò numina terrestria. Atticum
ergo quasi in nexum me multum Devenierand, Dominat. hisce inconditis lineo-
lis obligo atque commendo, prospera namque benevolentia æquabilis perpe-
tuaque fortuna, imò benevolentia hominum vita, eaque nil magis optandum
atque vovendum. Idcirco,

Christigenis igitur precor hinc faustissima cunctis,
Vt vigeant, passim. CVRIA, TEMPLA, DOMVS.
Hinc TIBI quod defert mens obstrictissima votum;
Suscipias facili mente manuque rogo.

Ἐσθὲς, Χοῶν.

VnDlqVe poLonlaCos DebeLLant beLLa
penates,
Christe poLo popVLis aVXILIare tVIs.
HeVs Viri LaVs præsto!

*Crenâ quidem laxâ, mente tamen sincerâ,
ingenioque prompto dicatum
ab*


J. H. Philo-Theosopho.

atris
ticum
lineo-
perpe-
ndum

MVS.

LLa

ra
O.



KSIĄZNICA MIEJSKA IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

113421-113649

K. fol. 4 adl. 1-228

BIBLIOTEKA MIEJSKA IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

113421-113649

v. 4 adl. 1-228

